

ine Apostoli. Summa est illos assidue Dei laudibus intentos fuisse, sacrosq; conuentus in templo frequentasse, & curi fufius dictum est, Matth. 28. d. 20. x. Jam illis satis persuasum erat Christum vere à mortuis resurrexisse, quem & in caelum ascendentem conspexerant, vnde etiam futurum minime dubitabant quin quod pollicitus fuerat praestaret. Dum ergo promissum Spiritum

sanctum expectant, veris exercitiis quae pietatem decet toti operam impendunt, nec iam vt prius domi clausis foribus delitescunt, sed animosiores facti torporem excutiunt, atque magna alacritate Domino Deo gratias agunt, quod misso in orbem redemptore, miseris homines à Satanæ peccati & mortis tyrannide in summam libertatem vindicauerit.

# IN SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM, SECVNDVM IOHANNEM CATHOLICA EXPOSITIO ECCLESIASTICA.

Authorum nomina qui in commentariis in Iohannem citantur.

B. Marinus Bucerus, xv. Bulingerus, x. Brentius, c. Caluinus, m. Musculus, a. Augustinus Marloratus.

## ARGVMENTVM.

**D**E Evangelij nomine dictum est in initio Evangelij secundum Matthaeum. Summa huc redit, vt Evangelium agnoscamus solenne esse de patre facta Christi gratia praeconium. c. Patres quidem eiusdem nobiscum Evangelij, quantum ad gratiae salutis fidem spectat, consortes fuerunt, verum quia Spiritus in Scripturis ita loqui solet, Christi demum aduentu publicatum fuisse Evangelium, nos quoque eandem loquendi formam retineamus, vt Evangelij nomine intelligamus quicquid in nouo Testamento, praecipue vero in us historis quae Christum apparuisse in carne, mortuum & à morte suscitatum, ac tandem in caelos receptum fuisse narrant, continetur. **I E S V C H R I S T I.** Quoniam Christus diuinæ misericordiae paternaeque in nos amoris pignus est, ideo & propria est Evangelij materia. Nam etsi multa tractant Euangelistae quae nihil ad Christum pertinere videntur, quia tamen quaecunque ipsi expriment, ad maiorem Christi notitiam plurimum faciunt, non immerito propria Euangelij materia dicitur Dei & hominum mediator Iesus Christus. Quicquid enim in his quatuor Euangelicis historiae scriptoribus habetur, eo tendit vt credamus quod Iesus est Christus filius Dei, vt credentes vitam habeamus in nomine ipsius, Infra, 20. g. 31. **A.** Ceterum nominis Iesu interpretationem videto apud Matth. 1. d. 21. & Christi, Matth. 1. c. 16. **SECVNDVM IOHANNEM.** **R.** Quamuis verbum Domini ab hominum autoritate minime pendeat, tamen sicut operae praetium est probare spiritus num ex Deo sint, (1. Iohann. 4. a. 1.) ita necessarium est vt qui in Ecclesia docendi partes suscipiunt, suam auctoritatem in ea retineant, quo firmius sit apud fideles eorum de veritate testimonium. Atqui hoc Evangelium aliud nihil est quam de Christo Iesu testimonium, quod Iohannes in medium protulit: nempe quod Christus sit Filius Dei, vita hominum, lux mundi, panis vitae qui è caelo descendit, resurrectio, via, veritas & vita, bonus ouium pastor: in summa, vnicus orbis seruator. Consentaneum est igitur nos agnoscere quicquam hic fuerit qui ita testatus sit de eo qui inter mortales versabatur forma serui accepta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus vt homo Philippen. 2. a. 7. in omnibus tentatus secundum similitudinem absque peccato, Heb. 4. d. 13. Verum hic vnus testis iustar mille nobis habendus est, vt qui non ex communi fama, sed ex ipsorum rerum conspectu habuerit quae in communem Ecclesiae aedificationem scripserit, quemadmodum sub huius historiae finem de se loquitur. Qui vidit, testimonium reddidit, & est verum testimonium eius: & ille nouit quod vera dicit, vt vos credatis, Infra, 19. f. 35. Et alibi, Quod erat ab initio, quod audiui, quod vidimus oculis nostris, quod intui sumus, quod manus nostrae contrectauerunt de Sermone vitae, & vita manifestata est & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, & manifestata est nobis, 1. Epist. a. 1. Erat enim hic sacrae historiae scriptor tempore Christi, frater Iacobi Apostoli, natus in Galilaea, filius Zebedaei & Salomes, vt multi opinantur. Cuius vocationem ad munus Apostolicum narrat Matth. 4. d. 21. **B.** Apposite igitur hanc historiam Evangelium vocauit. Quae sane Evangelij titulo tanto quam reliquorum Euangelistarum historiae dignior habetur, quanto ea luculentius & plenius quod diu & anxie sancti desiderarunt expectaruntque Christi regnum annuntiat & inuulgat. Si quidem diuinitatem Domini redemptionisq; mysterium multo tum diligentius tum explanatus quam Euangelistae reliqui exponit ac depraedicat, narratione nimirum & altius petita, & plura quae vim & naturam Christi exprimant commemorante: vt profecto digna sit quae ad verbum à Christianis edisceretur. Hoc futurum prospiciens Dominus, hunc nostrum Euangelistam tonitruum cum fratre appellauit, id est, *ὁ ἀναγγελλος*, vt habet Marcus, 3. c. 17. Nam Verbum quo vniversa mundi machina vt condita est & gubernatur, ita instauratur ac renouatur, tam clare ac magnifice in orbe sonuit, vt nemo vnquam vel clarius vel magnificentius. **C.** Praeterea alij ttes Euangelistae in narranda Christi vita & morte sunt fufiores, hic a. noster in doctrina qua & Christi officium & mortis resurrectionisque virtus explicatur, magis insistit. Et quum omnib. communiter professum sit Christum ostendere, priores illi corpus si ita loqui fas est in medium proferunt, Iohannes vero animam. Adeo vt hoc Evangelium merito clauis esse dicatur quae aliis intelligendis ianuam aperiat. Quisquis enim Dei virtutem, vt hic graphice expressa est, tenuerit, is vero demum cum profecto quae ab aliis traduntur de exhibitore redemptore, leget. **M.** Nec sine singulari Spiritus sancti consilio factum est vt prius Matthaei, Marci & Lucae Evangelia quam Iohannis in orbem extrent: neque enim dum capaces ac patientes infirmæ credentium aures tanti fuissent tonitruum. Ideo primum tradenda erat Christi incarnationis dispensationis cursum dictis & factis tenuerit quibus se documentis verum esse Messiam probauerit: quomodo secundum Scripturas passus ac mortuus sit, & tertia die resurrexerit, seque suis viuum ostenderit, ac tandem ad caelestia assumptus sit, vt paulatim crescente fide locus pararetur sublimioris de Christi diuinitate doctrinis. **C.** Ceterum Iohannes ereditur hoc maxime consilio ad scribendum adductus, vt Christi diuinitatem contra impias Ebionis & Cerinthi, **B.** & Carpocratis, c. blasphemias assereret. idque Eusebius Hieronymus ex communi veterum sententia referunt. Sed quaecunque illi tunc fuerit scribendi ratio, minime tamen dubium est quin longius Ecclesiae suae Deus prospexerit. Sic ergo quatuor Euangelistae dictauerit quod scriberent, vt distributis inter ipsos partibus corpus vnum integrum absolueret. Quod quartum in ordine Iohannem locarunt, in eo habita fuit temporis quo scripserat ratio, **A.** quando scilicet exulabat, aut quum à morte Domitiani (vt quidam volunt) renouatus fuit.

### CAPVT PRIMVM.

**I**n principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & ille sermo erat Deus.

**I**N PRINCIPIO ERAT SERMO. CHR. Omnis alius Euangelistae ab incarnatione incipientibus, Iohannes transcurret conceptionem, natiuitatem, educationem, argumentationem, mox de aeterna nobis generatione narrat, dicens, In principio erat sermo. **B.** Nam quo diuinitatem Domini Iesu exprimeret, & in Epistola sua verbum vitae, quod ab initio fuit, eum vocauit, 1. Epist. 1. a. 1. **C.** Et hoc Exordium aeternam Christi diuinitatem praedicat, vt sciamus aeternum esse Deum, qui manifestatus est in carne, 1. Tim. 3. d. 16. Porro hic scopus est, generis humani instauracionem fieri oportuisse per Dei Filium: quum eius virtute creata fuerint omnia. **B.** quae in caelis sunt & quae in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, Colof. 1. b. 16. **C.** quum solus creaturis omnibus vitam & vigorem inspiserit, vt in statu suo maneat: ac praesertim in homine ipso singulare ediderit tam virtutis quam gratiae suae specimen: a deoque post Adae lapsum ac defectionem non tamen destiterit erga posteros liberalis esse ac beneficus. **R.** Est autem haec praepositio vsque ad illum locum, Erat homo missus à Deo, &c. versu 6. in qua principio diuinitatem Christi docet, per quam omnia creata sunt: dein humanitatem eius proponit, quae credentibus via est recreationis. Pulcherrime enim conuenit vt qui per Christum creati sunt, per eum etiam recreentur. Quod autem Sermonem vocat Dei Filium, haec simplex videtur esse ratio, quia primum aeterna sit Dei sapientia & voluntas, dein expressa consilij eius effigies. Nam vt sermo chara et mentis dicitur in hominibus: ita non inepte transfertur hoc quoque ad Deum, vt per Sermonem suum dicatur nobis seipsum exprimere. **A.** Siue ergo Verbum dicas *λογος* siue (vt Erasmus reddidit) Sermonem, caue putes

hac appellatione propriam illius essentiam vere vt in se est exprimi. **M.** Est enim metaphorica dictio, quae nostro intellectui accommodata, vmbra aliquam eius rei de qua loqui instituit, delineare potest. Sumpta namque est à similitudine mentis nostrae, quae quum totum hominem regat, inuisibilis tamen est & incognita, nisi consilium quod concepit, verbo ad aliorum cognitionem proferatur, quae sane imago quaedam mentis nostrae aliorum cognitioni spectanda obicitur. Ita videlicet (quatenus incomprehensibilis illa diuinae maiestatis natura adumbrari potest) & Deus (hoc est virtus illa omnipotens, omnium creatrix & conseruatix, quem penetrandi gratia, quod omnia penetrat, *θεός* vocant Graeci) menti, qua totus hic mundus regitur, & Christus illius vnigenitus Verbo comparatur, propterea quod per hunc cognitio Dei mortalibus innotuit. Sic vocat Paulus Christum imaginem Dei inuisibilis, Colof. 1. b. 15. Sic Christus dicit, Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, Infra 14. a. 9. Et nemo venit ad Patrem (id est, ad Patris cognitionem & communionem) nisi per me, Infra, 14. a. 6. Item, Deum nemo vidit vnquam. Filius qui est in sinu Patris, annuntiavit nobis, Infra, 1. c. 18. Itaque quemadmodum se Deus in seruando mundo per Sermonem istum patefecit, ita prius habuit apud se reconditum: vt duplex sit relatio: prior ad Deum, altera ad homines: **A.** nequis cum Serueto aeternum hunc Sermonem tunc demum exortum esse fingat, quum in mundi creatione exortus est. **C.** Quasi vero non prius fuerit quam eius virtus externo opere sit cognita. Longe aliud hic docet Euangelista: neque enim Sermoni assignat temporis initium, sed ab initio fuisse dicens, secula omnia transcendit. Air enim in principio erat sermo. **R.** In quo principio? Vel simplicissime in principio intelligas quod Latini solent dicere, In primis, vel, sine praepositione, Principio, aut Primum, si quando aliquid narratur: si vt sit dictio orationis inceptiua: vel, In principio (vt Nonnus Graecus Iohannis paraphrastes interpretatur) Intemporeum, incomprehensibile & ineffabile erat Verbum: a deoque Verbum iam cum eo principio erat quo Deus dixit, Fiat lux, Genes. 1. a. 3. Fiat firmamentum, &c. Ibidem, 6. Quamquam nunquam non fuerit. Est enim splendor gloriae paternae & expressa imago substantiae Patris, Hebr. 1. a. 3. Nunquam a Patre abfuit: nunquam ei desit. Ita namque apud Salomonem ait, Dominus possessit me ab initio viae suae: ante opera eius erat,